

NOTAS Y TEXTOS

DOCTRINA SANCTI THOMAE

CIRCA CONCURSUM DEI CUM CAUSIS SECUNDIS

1. Quum omnes catholici Theologiae vel Philosophiae operam dantes adeo exoptent, ut par est, Angelici Doctoris genuinam mentem etiam in rebus minimis assequi; haud inopportunum esse censui hujus ephemeridis lectoribus brevissimam expositionem offerre, meo judicio clarissimam, Aquinatis doctrinae circa concûrsum Dei cum causis secundis, quae tanti momenti est et tam diversimode intelligitur.

2. Sanctus Thomas (De Pot., q. 3, a. 7) disserte affirmat Deum quatuor modis distinctis omnium *actionum* creaturarum causam esse: primo, quia ipsis virtutem activam dedit; secundo, quia illis eam conservat; tertio, quia earum virtutem ad actionem applicat; quarto, denique, quia ipsius actionis est causa principalis.

Duo priores modi nullam difficultatem afferunt. Respectu tertii, hoc animadvertendum est, quod Sanctus Doctor ad illum explicandum in loco quidem citato exemplum adducit hominis ad incidendum applicantis acumen cultelli movendo ipsum (ac proinde impulsu quemdam ei tribuendo); attamen in alio loco (C. G., l. 3, c. 67) adhibet exemplum coqui ignem ad decoctionem applicantis (quod certe fieri solet cibos igni apponendo), et addit: «Omnis applicatio virtutis ad operationem est *principaliter et primo* a Deo; applicantur enim virtutes operativae ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel animae; *primum* autem principium utriusque motus est Deus»; praeterea in suo opere principali ait: «Necessitas naturalis inhaerens rebus, qua determinantur ad unum, est impressio quaedam Dei dirigentis in finem, sicut necessitas qua sagitta agitur ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis et non sagittae. *Sed in hoc differt, quod id, quod creaturae a Deo recipiunt, est earum natura*» (I, q. 103, a. 1, ad 3); atque explicans quomodo voluntas humana, a Deo mota, peccare possit, ita loquitur: «Deus movet voluntatem hominis, *sicut universalis motor*, ad universale objectum

voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed *homo* per rationem *se determinat ad volendum hoc vel illud*, quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam» (I 2.^{ae}, q. 9, a. 6, ad 3). Itaque indubium videtur Deum, juxta Sanctum Thomam, saltem generaliter loquendo, causas secundas ad determinatas actiones non movere mediantibus impulsibus ab Ipso solo productis et pro unaquaque actione distinctis, sed *ipsis naturalem inclinationem conferendo, atque* mediantibus praevis actionibus aliorum agentium seu virtutum naturalium (ab Ipso causatis iisdem quatuor modis, quos explicamus) *illas in talibus adjunctis constituendo, ut exoptatae actiones infallibiliter sequantur.*

In quarto modo prorsus evidens nobis videtur Sanctum Thomam, supposita collatione, conservatione et applicatione causae secundae, novum influxum divinae virtutis exigere, ratione cujus ipsa sit causa principalis subsequentis actionis, et sine quo produci non posset novum *esse*, quod in omni effectui habetur, et non tantum est praedicatum communissimum, sed cuilibet rei *logice* intimius et primum omnium.

Haec sunt verba Angelici Doctoris: «Quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti; et hoc modo etiam oportet dicere quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis. Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior, et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum et de remotiori potentia ipsum reducit in actum... Et propter hoc... nec aliquid agit ad *esse* nisi per virtutem Dei. Ipsum enim *esse* est communissimus effectus, primus et intimior omnibus aliis effectibus; et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus... Sic ergo, si consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum. Si autem consideremus virtutem qua fit actio, sic virtus superioris causae erit immediatior effectui quam virtus inferioris; nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris... Et quum conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet..., sequetur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturae» (De Pot., q. 3, a. 7). Et in *Summa Theologica* (I, q. 105, a. 5) ait:

«Considerandum est quod si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis. Nam primum agens movet secundum ad agendum, et secundum hoc, omnia agunt in virtute ipsius Dei, et ita ipse est causa omnium actionum agentium..., et ipse Deus est proprie causa ipsius *esse* universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimum rebus»; atque difficultati: «una operatio non est *simul* a duobus operantibus», ita respondet: «Ad secundum, dicendum quod una actio non procedit a duobus agentibus unius ordinis; sed nihil prohibet quin una et eadem actio procedat a primo et secundo agente.»

Porro ex tradita doctrina clare eruitur applicationem creatae virtutis ad suam operationem non esse completam sine decreto divinae voluntatis quo omnipotentia disposita reddatur ad cooperandum cum illa virtute in ea operatione.

3. Praedeterminationum physicarum propugnatores haec duo asserta Sancti Doctoris, ex citato articulo de Potentia, apparentius pro se allegant: «In operatione qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura» (q. 3, a. 7, ad 3) et «Id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere» (ibidem, ad 7).

Sed primo asserto (in quo additur: «sed ipsa naturae operatio est etiam operatio virtutis divinae, sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis. Nec impeditur quin natura et Deus ad idem operentur, propter ordinem qui est inter Deum et naturam») huic difficultati respondetur: «Si Deus operatur in qualibet operatione naturae, aut una et eadem operatione operatur Deus et natura, aut diversis. *Sed non una et eadem; unitas enim operationis attestatur unitati naturae*, unde quia in Christo sunt duae naturae, sunt etiam ibi duae operationes; creaturae autem et Dei constat non esse unam naturam. Similiter, nec est possibile quod sint operationes diversae, nam diversae operationes non videntur ad idem factum terminari, quum motus et operationes penes terminos distinguantur. Ergo nullo modo est possibile quod Deus in natura operetur.» His positis, illa Dei operatio, qua non operatur natura, nihil aliud esse videtur quam naturalis inclinationis continuata collatio, ex qua sufficienter apparet distinctio inter naturam divinam et creatam. Forte etiam intelligi posset ea operatione, qua Deus (principaliter) aliquam

naturam movet, nondum operari (generaliter loquendo) illam ipsam naturam, quae movetur.

Altero asserto Sancti Thomae huic difficultati respondetur: «Si Deus in natura operante operatur, oportet quod operando aliquid rei naturali tribuat; nam agens, agendo, aliquid actu facit. Aut ergo illud sufficit ad hoc quod natura possit per se operari, aut non. Si sufficit, ... eadem ratione potest dici quod et virtus naturalis sufficiebat ad agendum... Si autem non sufficit, oportet quod ibi aliud iterum faciat (Deus), ... et sic in infinitum... Ergo standum est in primo, dicendo quod virtus naturalis sufficit ad actionem naturalem, sine hoc quod Deus in ea ulterius operetur.» Integra autem responsio haec est: «Virtus naturalis, quae est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere et virtus artis in instrumento artificis. Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen ut esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit quod vis artis esset in ea quasi quaedam forma permanens, nisi haberet intellectum, ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, non autem vis qua agit ad *esse* ut instrumentum primae causae, nisi daretur ei quod esset universale essendi principium; ... unde... rei naturali conferri non potuit.» Itaque sicut virtus artis, habens in artifice esse ratum et firmum, dicitur habere esse quoddam incompletum, ut intentio sola, *in instrumento artificis*, similiter ipsa divina virtus (qua res naturalis agit ad *esse* ut instrumentum primae causae, quaeque ipsi conferri non potuit ut forma permanens, nisi daretur ei quod esset universale essendi principium) dici potest habere *in re naturali* esse quoddam incompletum, quatenus illi transeunter et limitate conjungitur ad communem operationem eliciendam.

Atque etiam notandum est quod si haec duo asserta Sancti Thomae acciperentur in sensu adversariorum, non cohaerent cum corpore articuli in qua aperte dicitur virtutem qua agens secundum suo effectui conjugitur esse ipsum Deum, ut supra vidimus.

4. Contra veram immediationem efficientem Dei in effectibus propriis causarum secundarum, nullam difficultatem afferre posse videntur illi textus, in quibus Sanctus Thomas ait eos effectus esse determinationes effectus proprii Dei, atque hunc jam productum sup-

ponere (v. gr., C. G., l. 3, c. 66; *Comp. theol.*, 69; De subst. separ., c. 10). Nam ex his textibus, alii intelligendi sunt sensu *pure logico*, et ita probant Deum immediata efficientia cum creaturis cooperari; alii vero agunt de creatione, et tantum probant vel Deum posse producere ex nihilo, vel causas secundas operari non posse nisi aliquis effectus jam sit a solo Deo productus, minime vero, evincunt huic effectui causas secundas *sine immediata cooperatione Dei* alios effectus superaddere.

Legantur ipsi textus Sancti Thomae, verbis explicatoribus intra [] additis: «Secundum ordinem causarum est ordo effectuum [seu praedicatorum effectus]. Primum autem in omnibus effectibus est *esse*; nam omnia alia [praedicata] sunt determinationes ipsius. Igitur *esse* est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt ipsum, in quantum agunt in virtute primi agentis; secunda autem agentia, quae sunt quasi particulantia et determinantia actionem primi agentis, agunt, sicut proprios effectus alias perfectiones [seu praedicata], quae determinant *esse*» (C. G., l. 3, c. 66). «Quanto aliqua causa est magis universalis, tanto effectus ejus est universalior. Nam causae particulares effectus universalium causarum ad aliquid determinatum appropriant, quae quidem determinatio ad effectum universalem comparatur sicut actus ad potentiam. Omnis igitur causa, quae facit aliquid esse in actu, praesupposito eo quod est in potentia ad actum illum, est causa particularis respectu alicujus universalioris causae. Hoc autem Deo non competit, quum ipse sit causa prima, ut supra ostensum est. Non igitur praeexigit materiam ad suam actionem. Ipsius igitur est producere res in *esse* ex nihilo, quod est creare; et inde est quod fides catholica eum *Creatorem* confitetur» (*Comp. Theol.*, c. 69). «Quanto aliqua causa est superior, tanto est universalior... Sed id quod primum invenitur in unoquoque ente, maxime est commune omnibus, quaecumque enim superadduntur, contrahunt id quod prius inveniunt... Oportet igitur quod id quod primum subsistit in unoquoque, sicut in corporalibus materia et in immaterialibus substantiis, quod potentiale est, sit proprius effectus primae virtutis, et universalis effectus agentis. Impossibile est igitur quod ab aliquibus causis secundis aliqua producantur in *esse* non praesupposito effectui superioris agentis..., quod est creare» (De subst. separ., c. 10).

Sanctus Thomas, ergo, ordinem physicum et ordinem logicum aequiparans, ut solet, primae causae assignat sive primum praedica-

tum cujuslibet formae ab aliquo agente naturali eductae, sive primum subjectum physicum cuiuslibet compositi naturalis.

FRANCISCUS MARXUACH, S. J.

EPISODIO CURIOSO EN UN ACTO TEOLÓGICO CELEBRADO EN SALAMANCA

Un Memorial al Sumo Pontífice Clemente XIII corre con el nombre del Rmo. P. Fr. Francisco Javier Vázquez Peruano, O. S. A., en que se delatan a Su Santidad ciertas Conclusiones, que tenemos a la vista, sustentadas por los jesuitas en Roma. En dicho Memorial para más inclinar al Papa a que otorgara lo que se pedía, refiérese que en Salamanca «al principio de 1765, defendieron (los jesuitas)... Conclusiones públicas calumniándole (al Cardenal Noris) y notándole de hereje: tan extrañas cosas afirmaron de la doctrina, que los asistentes todos se escandalizaron gravemente. La Orden (de San Agustín) acudió a Su Majestad, que sometió la causa a la Inquisición, la cual por un decreto hizo confesar al P. Osorio, Rector de la Casa de los jesuitas, públicamente, en nombre de toda la Compañía, *que la doctrina del Cardenal Noris era católica y que él alcanzó de sus adversarios tan gloriosa victoria que por ella mereció ser condecorado con las más distintas honras por la Silla Apostólica*» (1).

Al hablar de este suceso dicen los *Diarios del Colegio de Salamanca* (2): «El día 17 (de enero de 1765) tuvo el Acto menor el P. Joseph Chantre. En este acto se dieron por ofendidos los PP. Agustinos por ciertas proposiciones del P. Actuante (3), que pareció a los

(1) Biblioteca de la Universidad de Salamanca. Sala de Mss. *Papeles Varios*. Est. 4. Caj. 3, núm. 32, folio 320.

(2) En el *Catálogo de libros Manuscritos que se conservan en la Biblioteca de la Universidad de Salamanca* (Salamanca, 1855) se dice, pág. 39: «Jesuitas: *Diarios del Colegio Real de la Compañía de Jesús en Salamanca desde 1620 hasta su expulsión*. Contiene noticias curiosas, no solamente acerca de las cosas y gobierno interior del Colegio, sino también para la historia de Salamanca: Cuatro tomos en 4.º El 1.º de 1620 a 1644. El 2.º a 1655. El 3.º a 1746. El 4.º a 1767.» Las palabras citadas corresponden al 17 de enero del año 1765.

(3) El P. José Chantre Herrera, natural de Villabrágima (Valladolid) 1738-1801. Fué de los jesuitas expatriados y explicó *summo plausu* Teología en Plasencia (Italia). Escribió: